



**E**Ttico filius fuit Leodisij atque Erckonaldi ne-  
 pos, qui sub Dagoberto rege Francorum Ma-  
 ior domus & palatij præfectus extiterat, anno sex-  
 centesimo primo. Itaque nepos eius ob insignes  
 corporis & animi uirtutes S. Leodegarij ex sore-  
 re neptem atque reginæ Francorum sororem, uxo-  
 rem impetrauit. Vnde rex suo affini Alemanniæ  
 ducatum superiorem ad Rhenum gubernandum  
 concessit. Habebat is apud Alsates in arce Alti-  
 tona, quæ hodie S. Otiliæ mons dicitur, circa no-  
 bilem uicum Egenheim. Cum autem is ditissimus  
 princeps esset, atque liberis careret, moriens, bo-  
 na sua in quatuor partes testamento diuisit. Ex pri-

ma Collegium S. Steffani apud Argentinenses, ex secunda Monasterium E-  
 bersheimmunster infra Selestadium, ex tertia, Monasterium montis S. Otiliæ  
 magna pietate fundauit. quartam uerò & præstantiorem partem Eberhardo  
 & Mazoni cognatis suis reliquit, atque eos in suo loco duces consti-  
 tuit. Floruit is anno 700. Monsterus libro  
 tertio Germaniæ.